

1597

terclusi, undique premerentur. Tum eo vehementius Bergon-
rius pergebat urgere, rogans: legatum aliquantis per obsidionem
laxare juberent; per sancte polliceri, satis Reipublicæ Rodul-
phum facturum: turcicos apparatus, belli molem imminentem
oculis objicere: Cæsaris vicem dolere, omnium mentes ad mi-
serationem flectere. Re a præconsultoribus agitata, in varias
sententias discesum. Alii nihil de legati mandatis immutan-
dum; arctius Sennianos totamque maritimam oram obsidendam
censebant; id unum tot malis præfens certumque remedium
esse. Alii contra, per aliquot dies iudulgendum, nimiae seve-
ritati parcendum, non nihil officiis precibusque Pontificis Cæsa-
risque tribuendum: ni pollicita præstarentur, acrius mandatis
institendum. Discrepantibus sententiis in Senatu certatum; in
quo ea tandem vicit, ut Bembo legato scriberetur: remissius
per dies viginti cum Senniensibus ageret, ut interea, quid Cæ-
sar Ferdinandusque statuerent, pernosceretur. Ferdinandus
procuratores Senniam mittit, qui licet egregiam eo in negotio
operam navaturos præsetulissent, re tamen parum præstiterunt,
ut non major tunc ex eorum adventu quam alias fructus perci-
peretur. Quapropter Bembo, acrius redintegrata obsidione,
Senniam locaque finitima premit; in complures, qui in illius
potestatem pervenerant, capite animadverti jubet; totamque
æstatem perpetuis laboribus in iis locis exegit.

Quo tempore in Pannonia, laxatis utrimque viribus, arma
languere videbantur; cum interim, ab agrestibus in dominos
feditiome facta, immania scelera patrarentur, castella occupa-
rentur, multo graviore periculo, nisi vi adhibita, in aucto-
res capitali pœna vindicatum fuisset. Huc accedebat, quod
Cardinali Cajetano, Legato, quem Clemens, ut Sarmatas
adversus Mehemetem incitaret, in eas regiones miserat, mini-
me audito, pacem Conventus confirmasset. Neque acrius
Turcæ tendebant. Mehemetes Satergius, anni initio cum
quinque & viginti Janizzerorum millibus in Pannoniam impe-
rator designatus, nisi cuncti sibi apparatus abunde suppeterent,
proficisci ad exercitum recusabat; atque haud obscurum in Tur-
cis pacis desiderium inspiciebatur. Cum ea in re Angliæ legatus
operam, licet frustra, adhibuisset, Meletius, Alexandrinus
Patriarcha, ad Michaellem, Vallachiæ Principem, apud quem
sum-

*Cajetanus
Cardinalis
in Sarmatiam a Pö-
pulo mis-
sus.*

*Mehemetes
Satergius
in Panno-
niam exer-
citus impe-
rator desi-
gnatus.*